Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1529
Quelle:
Copyright:

referri possit. At *Teudulfi* seu *Theodulphi* extant *Opera* post edit. *Jac. Sirmondi* in *Bibl. PP. Lugd.* T. XIV. p. 1. a quibus illa nec ratiocinandi methodo, nec stili ratione abludit, et fortasse *Teudulfi* nomen illi ad calcem subjectum teneremus, nisi, quod iterum doleo, membranae posteriores ad verba: *Quando ergo dominus dixit: unus vestrum me traditurus est, innuit Petrus Johanni* — — excidissent.

IV. *fol.* 99. charactere luculento *Incipit liber effrem diaconi de compunctione cordis.* Potuit sane ducentis ante *Ambrosium Camaldul.* annis testari *Vincentius Bellovac. Speculi Historial.* L. XIV. c. 87. aevo suo latine versa extitisse *Ephraem Syri Nisibitani* Diaconi, qui Seculum IV. vita et scriptis illustravit, Opuscula, cum centum ante ipsum annis exaratus Codex noster et tribus quidem plura, quam ille enumeravit, exhibeat. Dedi Titulum primi, quem pariter apud *Vincentium* et *Trithemium* praefert. Initium est: *Dolor me compellit hec edicere* &c. Extat titulo Λογος Ἀσκητικος in Edit. *Ephraemi* curata *Romae* a *Jos. Sim. Assemano* 1732. f. T. I. p. 40. Ὁ πονος τȣ λεγειν ἀναγκαζει με &c. Sed in *Cod.* terminatur: *ut et ego offeram ei quod ab eo accepi. et ad orationem serui tui precibus omnium sanctorum tuorum qui es super omnia deus benedictus in secula seculorum. Amen.* Aliter se habent graeca, quae p. 66. longius procurrunt: Νηψωμεν ὀυν παρακαλω ἐν τῳ βραχει τȣτῳ καιρῳ &c. ut suspicari quis posset, versionem nostram e *Syriaco* factam fuisse. Verum ipse *Syriacorum Ephraemi* Editor *Petr. Benedictus* S. J. in *Praef.* T. I. *Romae* 1737. f. testatus est, se *Asceticorum Ephraemi* Syriacum Textum non vidisse. Ad calcem in Codice minio: *Explicit liber primus.*

Fol. 120. *Incipit secundus.* Ita aevo Librarii nostri. Sed jam apud *Trithemium Scriptt. Eccl. n.* 78. Libellus peculiaris est, inscriptus *de Contritione Cordis.* Initium: *Venite Karissimi uenite patres et fratres grex saluatoris electus* &c. In edit. *Rom.* T. II. p. 370. titulo Νουθεσια seu Κατηχησις προς Μοναχȣς sectus est in Partes II. Prior incipit: Δευτε ἀγαπητοι μȣ, δευτε πατερες και ἀδελφοι μȣ &c. Altera: Συνωμεν ὀυν ἀγαπετοι &c. quod nostro: *Intelligamus ergo Karissimi fratres* f. 122. p. 2. respondet. Notat tamen *Assemanus* in margine, hanc partem in quibusdam Codicibus etiam adjunctam reperiri Libello, quem primum retulimus.

Fol. 126. *Incipit de iuditio dei et resurrectione et de regno celorum. et munditia anime. Vincentius* et *Trithemius* inscribunt *de Resurrectione.* Extat in edit. *Rom.* T. III. p. 553. tantum latine, et quidem nostro Titulo, et e nostra Versione: *Gloria omnipotenti deo, qui os nostrum superno nutu aperuit* &c.

Fol. 130. *Incipit ejusdem liber II. de beatitudine anime.* Notus *Vincentio* et *Trithemio.* Initium: *Beatus qui odio habuerit hunc mundum* &c. In edit. *Rom.* T. I.

p.